

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Menippus sive dialogorum satyricorum centuria  
inanitatum nostrativum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

54. Vanitatis Trivmphvs

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

54. VANITATIS TRIUM-  
PHVS.

A. **L**icet ne etiam recitare somnia? B. Recitare licet, sed despuere decet. A. Iucundum tamen est vel dormientem esse felicem. B. Nescis tu quam frequenter solear fieri ex auro lurum? A. Audi tamen, dein quod videbitur iudica. B. Recita somniator. A. Quodam tempore, cum inter humanæ temeritatis contemplationes obdormiscerem, triumphantem vidi vanitatem. B. Quid miri, cum id quotidie videamus idque gementes? A. Sed hæc visio mea omnibus partibus constabat. B. Videris omnino vano vanius aliquid vidisse, refer ergo. A. Primum cum tuba prodibat loquacitas, famæ opinor loco spectatores convocatura, cui pictura & prælum ancillabantur. B. Satis condignum exordium. Inde magna lassitudine sequebantur strigosissimi duo equulei, labor & fidelitas dicti. B. Heu sortem nostram! A. Iis aurigæ duo superimpositi erant, otium, & crapula. B. Ah sortem iniquam! A. Additi & stimulantés duo, Assentatio, & Consuetudo. B. Importuni equidem. A. Iam ipsa vanitas sublimi curru vecta mirum qua facie, quo habitu & ornatu fuit. P. Frustra eam describes, nam ex omnibus terræ particulis composita est, insuperque in horas omnes variabilis. A. Sed & comites duas habuit, sive sorores malis, impietatem, & profusionem. B. Infaustas orbis pestes! A. Subsequerentur stupor & lucrum, ille multum ca-

chinnans, hoc in sinum gaudens. B. Tunc hæc te somniasse dices? A. Equidem; ut hujus mundi nox est, qua Christianæ Religionis severitas occidit, & Ægyptiæ tenebræ Satyrorum choros & ludibria reducerunt. B. Quid anne Christus gaudium omne prohibet? A. At tu nondum chorum meum omnem audivisti. Nam post omnes subsequeretur Christus, asina vectus, & væ væ illud lachrymarum imbre ingeminans; cumque jam propè mihi esset, audivi dicentem: Hoc vobis confirmo, mitius actum iri cum Sodomis & Gomorris in die judicij, quam cum his.

55. FIDES IVRIDICA.

A. Tene lætari rebus tam tristibus? B. Etiam exultare libet. A. Quid? An Homerus revixit? B. Nugæ! libellus novus contigit. A. Vah libellos, quibus nihil est in terris jejunius. B. Quibus nihil est ad leniendam hanc vitam presentius. A. Quid ergo tibi confert boni libellus tuus? B. Novam fidem. A. Deus avertat! nam cum inter tot novas fides vix veterem retineamus, quid de recentiore aliqua fiet? B. Atqui hæc nova meâ, illa antiqua fides est, sub qua salvifica fides ut plurimum resplendit. A. Quod illi sectæ nomen? B. Hem sectæ, quæ sectatorem vix uspiam habet! A. Sive religioni? B. Quam colere nostris religio est. A. Ergo persuasioni. B. At nemini